

CONIVGIO XLII  
LECTISS. SPONSORVM;  
Viri Clariss.

Dn. FRIDERICI CLOSI,  
I. V. D.

Virginis Honestiss.

DOROTHEAE GOTTSVALDINAE,  
Dn. Thomæ Gottsvald, viri quondam Rei-  
pub. Freistad. Consularis re-  
lictæ filiæ,

GRATVLANTVR AMICI

Addiem. Novemb.



GORLICII  
*Apud Iohan. Rhamba. Anno Christi*

M. D. XCVIII.

42.



## EYΦHMIA TAMIKH.

**D**Iuersis diuersa D E V S , mortalibus , autor  
Dona dat , arbitrio distribuitꝝ suo .  
Sed non esse puto donum præstantiusꝫllum ,  
Quam castè seruans fida maritatorum .  
**H**oc quia contingit diuo tibi munere donum ,  
Qui de pace tuum nomen & omen habes :  
Immenso meritas age toto pectore grates ,  
In te tām summā pro bonitate D E O .  
**N**os etiam , stabili vos iungat amore , precamur ,  
Autor coniugij legitimiꝝ tori .  
**V**nus sit vobis animus , sit sensus & vnum ,  
Vnum quos iunxit pectus , & vnum amor .  
Plurima postremō stent ad conuiuia mensæ  
Pignora , coniugij non mediocre decus .

*Lati omnis ergo scripta à  
PETRO GVILLEMO Med. Doctore  
Et Physico Freistad.*

PROBLEMA DONATVM  
FRIDERICO CLOSIO  
FREIST. V. I. D.

I. Coronato: II. Coronando: sub spe III. Co-  
ronæ, omn. opt. æter.

SI VS VI CVPIS ESSE REIPVBL.

hoc faciendum:  
illud omittendum.

**D**istraberis, neq; longa vacat cognoscere: paucis  
Finio: verbo auris detur amica breui.

1. Dic, quibus in rebus, summi vis inclyta iuris  
Cedat amicitia: & FRIDERICHVS eris.

Exerce. Dic, quibus in spatijs optes producere vitam:  
Et sapiens nobis MITIO semper eris.

2. Fura fori iustum poscunt: hoc robore fulta  
Fict. Publicares constat: si secus, icta cadit.

Fura tori placidum querunt: qui sospite DIVES  
PACE, DEI DONVM conuenienter amet.

Fura poli sanctum, qui corde sit integer, & re,  
Ore bonus, castris præferat astra, volunt.

3. Fuis, uxor, DEVIS, ex tribus his tibi vincula, Sponso,  
Gottvals. Injiciunt sertis: captus es: aptus abi.

NVMINIS arbitrio summi te dede clientem:  
Quicquid ages iustus, IOVA patronus erit.

Paul. Bernauus, amoris & honoris ergo scrib. Freistadij.

A 2

S Y R A -

SYRACIDES CAP. XXVI.

Proba mulier est præclarum donum, & dabitur timenti  
Dominum. Tam diues, quam pauper recto pectore habet so-  
latum & lætitiam omni tempore.

**Q**ualis & unde terè felix sit copula, verbi  
Cælestis passim pagina sacra notat.  
Id quoque, quos mystes stabili iam fædere iunget,  
Et sponsi & sponsæ nomen utrumq[ue] refert.  
Nam faustum thalami fædus descendere Olympo,  
DOROTHEA eximio nomine sponsa docet.  
Et quod GOTSWALDI laudato è stemmate nata est,  
Vinclatori à IOV à denotat ipsa regi.  
Indicat hæc eadem vox, Numen Præsidis huius  
Cordisfluis votis auxiliare trahi.  
Sed FRIDERICE tuum CLOS Iclarissime nomen,  
Qui bene concipient talia vota, monet.  
Scilicet aetheriæ per Christum pace fruentes,  
Et qui legitima fædera pacis amant.  
Dotibus hos varijs rerum dominator & autor  
Afficit, & thalamum cœlitus ipse beat.  
Ac veritus si non donorum irrepserit usus,  
Nec gleba extulerit se decorata bonis,  
Tunc patris eterni largissima dextera dotes  
Auget & exornat, quas dedit antè, nouis.  
Copia donorum mandato crescit in usu:  
At tumor attenuat pectoris, omne bonum.  
Sic verè hac felix socia consortio vita est,  
Vnde polo atque solo plurima grata fluant.  
Hæc vos non dubito vigili perpendere mente,  
Adq[ue] DEV M casto fundere corde preces.  
Sic opis aetheriæ vos spes firmissima nunquam  
Faller, & optatis uberiora feret.

Nam

Nam quod Christicolis spondet se IOVA daturum,

Affiduis precibus desuper omne datur.

Nos quoque sincero vobis cum corde precamur,

Tale sit ut vestrum connubiale iugum.

Georgius Vechnerus S. Verbi diuini minister  
apud Freistadienses.

### Ad Sponsum.

T'ene etiam, F R I D E R I C E , tori pia cura iugalis

Afficit ? & sera posteritatis amor ?

Sic est. Et quem non socij tenet ardor amoris ?

Natura has animis indidit ipsa faces.

Primus enim fuit ut casti D E V S autor amoris :

Sic quoque nunc thalami fædera casta probat.

At contrà obscenos hostiliter odit amores :

Sancitâque suum lege tuetur opus.

Iessida exilium vatis , cineresq; Gomorrhæ,

Interitumq; orbi qua tulit vnda , probat.

Concipis ergo tuo licitos sub pectore motus,

Quod probat ipse D E V S , carpere nemo potest.

Tu Phœbi teneris vexilla secutus ab annis

Nunc hausti premium dulce laboris habes.

Excoluit varijs mentem tibi dotibus auctam

A Ioue quæ ducit , turba nouena , genus.

Eloquio linguam viridi formauit ab aeuo

Docta Minerua tibi , Ius dedit ipsa Themis.

Hinc serpit viridis circum tua tempora laurus,

Hinc tibi surgit bonus , gloria , fama , decus.

Nunc etiam , donante D E O M V N V S tibi sponsus

Ducitur , exuperans , quas habet orbis , opes:

Non quas voluit opes sinuoso flumine Ganges

Aurifluus , tanii muneris instar habent.

Consule nata ferit tecum pia fædera Virgo,

Fædera perpetuo non soluenda die.

Illam non casto superet Lucretia vultu  
Quęq; furente sui torcit amore Parin.  
Corde sedet pietas, decor ore, modestia vultu,  
Fronte pudor, sermo nil leuitatis habet.  
Laurigeræ thalamo Musæ dant carmina, Phœbus  
Tensa lyræ docto pollice fila mouet,  
Ergò choros duc, Sponse, modos facientibus ipsis  
Aoniis, sic res lata, diesq; iubet.  
Sis felix: hilari D I V V M complectere MVNVS  
Pectore, discordi sit sine lite torus,  
Nec vos turturibus casto cedatis amore:  
Effigiem casti turtur amoris habet.  
Viue diu, atque annis age Nestora vince triseclam,  
Funere, Sponsa, diem non nisi claudat, anus.  
Ultima vota ferens: bis quinis mensibus actis,  
Prole, parens, pulcrā fiat vterque precor.

M. Petrus Beccerus Freist.  
Scholæ patriæ Rector.

M. LAVBANI P. L.  
AD SPONSVM, ODE VOTIVA.

Q Vantā penates optimitate meos  
Exhilarauit, queis ô mea gaudijs  
Atlantiæ Nepos propágis  
Pectora Mercurius repleuit?  
Annunciando, nostra quibus reduci  
Forte tibi, vt memini, Musa precatibus  
Congratulante ceterarum  
Non sine lætitiâ Sororum  
Primam ad salutem applaudere amauit: eos  
Arbitrium, angustam postmorulæ horulam,  
Verasse

Verasse partem haut pœnitendam  
Præmoderantis herile I O V A E.  
Vt nempe, sicut gratia te atque fauor  
Eunomiæ victrix laureolâ induit  
Nuper palæstritam perenni:  
Sic Erycina quoque alma leges  
Te sub suas & iura Cupidineis  
Sub sua compellens mox vadimoniis,  
Non st̄ litium foriue faltem,  
Sed subolis quoque procreandæ  
Artem frequentari iubeat. Viden' vt  
Candida amicorum sint rata pectorum  
Persæpè vota, quæ ipse lætis  
Exitus oīminibus coronat.  
Rarô integellas, vero ab amore, preces,  
Si proficiuntur mutuō, inefficax  
Frustratur error, tantum amicæ  
Robur inest pietasque menti!  
Felicitati non ego tām niueæ  
Gratuler ô C L O S I ? non ego pristinis  
Pro te tuāque pro maritâ  
Accumulem noua vota votis.  
Dignus pol istoc D O R O T H E A E thalamo  
Præ reliquis passim ferris amasiis,  
Diona quam Thalassiusque, &  
Mulsobibæ Charites venustant,

Pecuniosæ

Pecuniosæ quamque opulenta Tyches  
Parte sui quinctâ fenoris imbuit  
Benignitas, quis ceteris hanc  
Dotibus optet abesse partem?  
Dignusque porrò es, Sponsaque digna tua est;  
Instar Auis centum condere Arabicæ  
Messes vel amplius, senectâ  
Vnanimâ viridique crure.  
Digni estis ambo, vt DOROTHEE genitrix  
Reddita post annum, Sponseque tu pater  
Tenellulum lætemini almis  
CLOSIPOREM usque salire in vlnis;  
Papillulasque admorsu agitare leui;  
Et rofosis patrem nosse labellulis  
Ridendo; quem fratum sequatur  
Deinde ducem chorus & sororum.  
Quid multa? vester rara sit usque torus  
Effigies clarorum oro THEAGENIS  
Phthii CHARICLEAEQUE amorum,  
Æthiopi nigra quam creavit  
PERSINA Regi; quorum animum atque fidem  
Rumpier ignaram turba Heliconidum  
Miratur omnis; & beatis  
Prætulerit meritô, quot usquam  
Sunt aut fuerunt, Coniugibus, quot & hinc  
Post geniti exstabunt tempore sæculi.

LAVBANVS

LAVBANVS ecquid gratulando  
Candidius queat ominari  
Confarreandi more tibi licitis,  
CLOSI, operato aris? Cetera patrij  
Canent Olores: aut ( quod opto,  
Quodque tibi fore perdecorum  
Ipsa arbitretur Cinxia ) Pindaricis,  
Sponse, tuam in laudem rite melismatis  
MEIBOMIANAE exasciatum  
FRENZELIAE que poëma Cleiūs  
ELMANA mittet IVLIAS, officijs  
Dedita iamdudum nobilioribus  
Tibi; auguralem ex quo Themistos  
Accipere inde datum est tiaram,  
Diuz approbatum numine, | Sat mihi erit  
Hæcce salutatum ferta viraginis  
Suspendere ad Sponsæ cubile;  
Et Schediæ apposuisse castum  
Emblema curæ. Prima, quibus licitum est  
Dante Deâ, seruent. ô si aliquantulam  
Ego in secundis tertiiisve  
Prædicer obtinuisse palmam!

---

AD NOMINA SPONSS. ALLVSIO.


DONVM Sponsa Dei est quæuis, ne quis neget; huius  
Fulcit enim Gnomes pagina dia fidem.

B

Sed

Sed non omne D E I est donum omnibus utile: cœca  
Sæpe Hera retrogradam gestit abire viam.  
**D**onorum usque adeo cœlestium abusio crebra est:  
I O V A sua dono ut nolit adesse manus.  
Quām male tunc cedunt vel dona potissima: dantis  
Siretrice D E I destituantur ope!  
**E**t tibi iam donum, FR ID ER ICE, nouum annuit Hymen  
Seu rem, siue rei symbola Græca notes.  
**R**es Sponsa est liquidi donum illud amabile cœli:  
Dona Deiq; sonant symbola D O R O T H E Æ.  
**S**ed quibus utetur donum hoc successibus? inquis.  
Accipe, quæ tripodis do potiora fide:  
**S**i qua notanda inerunt (inerunt quoque) momina vestris  
Nominibus; Dono faustius hoc nihil est.  
**N**am Venus amborum præsens sine fine cluebit  
PACIS GLEBA FERAX AVXILIANTE DEO.  
Quām bene disposita est dos ecce reciproca utrumque,  
Vir P A C E M, A V X I L I V M dat noua nupta D E I!  
**A**ut hæc mellifluæ sunt nomina præscia sortis:  
Aut alibi rebus confona nemo dabit,

*Idem L A V B A N V S.*



## Chronologicon nuptiarum.

**A**nnVa VbI eCCe reDIt nobIs CatharIna: L I gat Vr  
PaCIs gLeba feraX aVXILIante Deo.

*M. Laub. P. L.*

**ACROSTI-**



A C R O S T I C H I S,  
Sponorum nomina alternans,  
Anagrammatica.

FRIEDERICVS CLOSIUS DOCTOR,  
DOROTHEA GOTESVVALDINA.

per Anagrammatis,

TORI VINCLIS CORDA LIGATO DEVS:  
HVC, ô DOS VERA, FER DOTES.

F elices animi, quibus hæc sententia fixa est,  
D ona dari è superâ sede petita sibi!

R itè petita sibi. Nam quò ruit impetus ardens,  
O mnia qui stolidè sub sua vota rapit,

I lla cupi prohibet, renuitq; cupita IEHOVAH:  
R espicit ob laudem sola rogata sui.

D euius, haud, error vos prosperitatis ab huius,  
O Sponsi, accessu, flectere cogit iter.

E gregiè sapiunt diffidere, vestra, saluti  
T errenæ, verbo, pectora, freta sacro.

R egis ab ætherei quæ numine iusq; piumq;  
H uius & auspicio fœdera sancta petunt.

I psa DEI DONVM profitentur nomina Sponsæ,  
E t benè quod cedant AVSPICE cuncta DEO.

C oniugio PACEM spondent quoq; nomina Sponsi,  
A c vos de primo coniuge GLEBA monet.

V ndecapit thalami consors primordia primus,  
G rata piè vestro poscitis inde toro.

S ortiri hinc poterunt successum vota secundum,  
O men & admixtum nomina mixta bonum.

C ORDA LIGATO TORI VINCLIS, DEVS, ô bone, DOTES  
T u, DQS VERA, FER HVC corporis ac animi,

**L**ætaqz fortunæ largitor munera Sponsis,  
**E**n modo queis cornu diuite diues ades.  
**O**rdea namque Ceres, te prospiciente, ministrat,  
**S**eminis vbertim debita soluit agris.  
**S**uggerit effusè præter spem dona Lyæus  
**V**itea, opum confert Iuno serena fatis.  
**D**at Pomona suos, quos legit ab arbore, fructus,  
**V**itali Lachesis mollia pensa manu.  
**O**ra venusta Venus, Charites moderamina morum,  
**A**tqz mali formant nescia corda doli.  
**C**ætera, cum dictis quæ sat perpenditis ipsi,  
**L**onga nimis, præsens Musa silere iubet,  
**T**erminat hoc voto: Casti da fautor amoris  
**D**uret amor, duret dos tua larga, D E V S.  
**O**mnia quæ defunt fatis affunde secundis,  
**I**pse metus, curas, damna, pericla fuga:  
**R**estet ne laribus quod turbet commoda P A C I S,  
**N**ec quod acerba D E I reddere D O N A queat.

## ETEOΣΤΙΧΟΝ.

**S**IT Cathara Ut felix Casto sVb fœdere IVn CtlIs.  
**Q**uoD panXere tibi, Christe benigne, preCor.

*Valerius Tseuschnerus Sprottau.  
Corrector schola Freistad.*

## FRIDERICO CLOSIO. I. V. D.

Domino & Compatri suo honorando. S.

**E**t te carminibus non celebrem meis,  
*Qui Musas aliquid posse meas putas,*  
*Præstantissime Cloſi?*  
*Nec pleno canam Apolline,*  
*Dotes ingenij, nobile præmium*  
*Virtutis que tua? quo Themis admodum*  
*Nuper te decorauit,*  
*Latit non sine plausibus.*

*Nil non sedulitas efficere est potis:*  
*Sed quid sedulitas: ni quoque desuper*  
*Largum-cales Olympo*  
*Rorem gratia depluat?*  
*Huic accepta refer tute igitur bona;*  
*Qua Natura tibi dinité detulit*  
*Cornu, mi FRIDERIC E,*  
*Ingens è patris decus.*

*Quem*

Quem non consilio I o v a suo adiuuat:  
Hunc Lethe obtenebrat, pernicies bona  
Fama pessima: doctrina  
Etsi omnem Oceanum hauserit.  
Ergo quod patria reddideris tua  
Te plenum Eunomies nectare: solius  
Est iouæ, patriam qui  
Gaudere indele vult tuâ:  
Quæ nunc dote beat te eccè reciprocâ  
Desponsam associans: quæ patre Consule  
( Quem F R E I S T A D I A luget )  
Nata est, matreque prouidâ.  
Hoc munus superum suspicere: despice  
Quid contra blateret vulgus iniquius?  
Mensuramque adamati  
Post hac nominis impleas.  
Floret pace domus: pace forum viget:  
Florent pace Lycea: insula pace ouat:

Pax isthac tamen & que  
Si V E R O veniat comes.  
Sed quorsum hi monitus? scilicet optimam  
Ceu tu pacifico ducis originem,  
Vir præclare, parente:  
Sic præsaga animi augurat  
Mens, vestigia te velle patris sequi,  
O Te, Sponse, precor, I o v a superstite:  
Dum Lucina maritæ  
Asperet facilis tuæ!  
Ut cernas oculis dulciculos citò,  
Castigata tori pignora, surculos.  
Sic te prolixi ouanti  
Patrem carmine dixero.  
Hec nos: ast alij, queis melior fauet  
Cleio, non renuent tollere ad athera  
Sponsi dona celebris,  
Sponsaque egregium decus.

Abraam Cremerus Grunebergensis.

---

## PHALEVCVS

Ad Sponsum.

A ntistes THEMIDOS, diserte CLOSI,  
Et Lepos CHARITVM sereniorum,  
Et Flos purpuree optumum virorum,  
Scin' quid Nobilis, inclutus, grauisq;  
( Quem Smaragdinam & auream medullam  
Doctorum, sapientiore voce,  
Oraculum sapiens renunciauit,)  
Innocens Anyti reus regessit,  
Tùm quærentibus vsq; & vsq; alumnis  
Nuptiis super? En! ait, gregatim  
Nassas insidijs petunt dolosas,  
Neptuni pecudes, sagenulasq;  
Circùm ludere gestiunt frequentér,  
Quiq; proximitate tùm cupiscunt  
Primâ pergere, & ingredi, recepti

B 3

Certatim

Certatim regredi expertunt miselli :  
Haut dispar ratio est benè æstimatae,  
Vitæ cœlibis , atque copulatae.  
Hanc liberrimi amant , coluntque mirè  
Implent eulogiis simul , petuntque:  
Hanc omnes liquidi ad suprema cœli  
Tollunt atria. Gordijs sed inde  
Nodulis benè, firmiterq; vincti, &  
Nexu plusquam adamantino ligati :  
Eheu ! quam miserè stupent, dolentq;  
Eheu ! quam miserè gemunt, tremuntque  
Facta , infecta volunt, thorumq; damnant.

FRID ERICE , quid expetis ? quid ergo  
Cogitas ? quid agis ? tuæ saluti  
Vah ! nil consulis ? haut sapis ? quid ipsum  
Is te perditum ? & vsque negligentè  
Cur te negligis ? & iugo perenni,  
Subdis libera ( vx ! ) subinde colla.  
In quo lacrymulæ seueriores,  
Et suspiria maxima , & querellæ,  
In quo principium omnium malorum.

Fallor ? nūm melius sacratoris  
Caussam Fœderis æstimas ? profectò  
Pensitas benè rem , suauioris  
Dūm fructus thalami salubrioress  
Ruminas ; quibus est serenius nil,  
Et certè quibus est beatius nil.  
Quam nosti benè copulationis,  
Quis sit Fundus , & Auctor , atque Fautor ?  
IHOVA , IHOVA DEV S, sacri Ignis Auspex,  
Non fors cœca. Quid ergo vota amica  
Pro Tereeddere maxime recusem ?  
Vota, vota dabo citis Phaleucis,  
Et P A T R I, atque S A T O , sacræq; FLAMMÆ ;  
Sponsam ob D O R O T H E A M , tuis venustè  
Moribus , studiisq; congruentem.

JOH. VVEIDNERVS SPROTT,



## ПРОВАЛМА ЕΡΩΤΙΚΟΝ.

**E**t vota, & vestris benè consona nomina votis,  
Docta cohors, thalami officiosa, canit.  
Quid me, CONS OBRINE, tuo cupis addere honori?  
Applando votis: & noua scita fero.  
An dilecta magis tibi virgo ASTRAEA? petita  
An mage SPONSA placet? SPONSE ad amate, refer.  
Et dubitas? tibi namq; ASTRAEAM ministrat honores:  
Ast oneris molem SPONSA venusta leuat.  
Ella decus, famam, & nomen post funera seruat:  
Hec thalami, & vita spesq;, decusq;, manet.  
Ne dubites: nulla huic pugna est, qui nomine PACIS  
Gaudet: DONA DEI hac sunt, & amata tibi.  
Vtraq; amata tibi, tuq; aequè charus utriq;:  
Hinc utrāq; viges, teq; vigente, vigent.  
Quem tibi perpetuò precor, optime SPONSE, vigorem:  
Ut cum PACE DEI DONA petita feras.

Confobrino dilecto honoris  
& amoris ergò P. P.  
M. IOHANNES SCULPTORVS Freist.



A 2490

ULB Halle  
003 485 986

3



St

WOM





**Farbkarte #13**



B.I.G.

CONIVGIO <sup>XLIX</sup>

LECTISS. SPONSORVM;  
Viri Clariss.

Dn. FRIDERICI CLOSI,  
I. V. D.

(t)

Virginis Honestiss.

DOROTHEAE GOTTSVALDINAE,

Dn. Thomæ Gottsvald, viri quondam Rei-  
pub. Freistad. Consularis re-  
lictæ filiæ,

GRATVLANTVR AMICI

Addiem. 25. Nouemb.



GORLICII

Apud Iohan. Rhamba. Anno Christi

M. D. XCVIII.

42.